



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Autoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 412. An & quando in feudo succedat fiscus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

Quest. 412. An & quando in feudo succedat Fiscus?

Resp. Dum publicantur bona vasalli, non confiscari simul bona feudalia, & sic in ea non succedere Fiscum, habet quidem communis, quam quamvis tenet Clar. *quest. 84.* citans pro ea Bart. *in l. si finita. §. si de vectigalib. num. 3. ff. de damn. infect.* Alex. *in cit. §. num. 30.* Ruin. *conf. 23. num. 23. l. 1.* & alios; distinguit tamen in ordine ad hoc tria feudorum genera. Primum, de quo vasallus non potest liberè disponere sine licentia domini & consensu agnatorum, quale est feudum antiquum ex pacto & providentia, & illud nunquam venire in confiscatione bonorum; eò quòd iniquum & absurdum esset, posse vasallum hac ratione delinquendo præjudicare domino & agnatis, quibus aliàs alienando præjudicare non potest. In eo autem casu potius redire feudum ad dominum quam ad agnatos, si delictum vasalli tale est, ob quòd is eum privare feudo possit; aliàs, si tale non est, transiturum potius ad agnatos. Secundum genus feudi est, de quo vasallus potest liberè disponere cum consensu domini etiam in extraneum in præjudicium filiorum & agnatorum, quale est quodcunque feudum novum, sub quocunque tenore receptum. Sed nec hoc confiscari posse ob delictum vasalli, ob quòd aliàs ejus bona allodialia veniunt confiscanda; sed absolute & indistinctè, si delictum sit tale, ut propter illud dominus possit eum feudo privare, si non sit tale, redire ad Dominum, consolidari dominium utile cum dominio directo, absque eo, quòd filii & agnati, qui non nisi ex persona patris delinquentis poterant ad feudum pervenire, jus aliquid in eo præterdere possint, non secus, ac etiam contingeret, si vasallus sine consensu domini alienasset feudum. Tertium, si feudum est tale, ut de eo vasallus tam in præjudicium domini quam agnatorum potest liberè disponere absque eorum consensu, quale est, si concessum pro se & quibuscunque hæredibus, seu pro se, & quibuscunque ille daret, & tunc, si Fiscus idem est domini & vasalli, transire feudum cum bonis cæteris ad Fiscum; si verò Fiscus vasalli diversus est à Fisco domini, non transire illud ad illum Fiscum, si delictum tale est, ob quòd privari poterat à domino, si autem tale non est, transire adhuc ad Fiscum, & hunc in eo tanquam hæredem extraneum, non secus, ac in aliis bonis posse succedere. Ita probabiliter Clar. dicens hanc distinctionem suam videri quidem posse novam, esse tamen ipsam veritatem, si rectè ponderentur rationes & autoritates DD. in hac materia scribentium.

Quest. 413. An & qualiter in feudo succedat fideicommissarius?

Resp. Feudum ex pacto & providentia non transit in fideicommissarium, si in illum, cui fiduciarius, seu hæres gravatus fideicommissum illud restituere debet. V. g. dum vasallus habens plures filios, uni ex illis reliquit partem hereditatis sub ea conditione, ut is decedens sine liberis partem illam hereditatis restituat alteri à se designato; in illum inquam non transit feudum illud, aut ejus pars, dum esset unus ex

filii vasalli post ejus mortem; sed in proximiorum ex vocatis ad illud in investitura; adeoque feudum aut pars illius non venit in restitutione fideicommissi. Ita quòd ad rem Clarus. *quest. 85. num. 1. juncto num. 2.* citans pro hoc Bart. *in l. si patroni. ff. ad Trebell. num. 3.* Ripa *in l. ex factio. ff. eod. num. 17.* Jason. *in pralud. feud. num. 46. &c.* Unde etiam rectè inferri videtur contrarium, nimirum transire etiam tale feudum in fideicommissarium, ubi is esset ex comprehensis in investitura. Quam illationem tamen Clar. dicat videri, & à Curt. Jun. *conf. 72. num. 6. l. 1.* dici communiter receptam, nihilominus credit non esse veram, nisi quando ageretur de præjudicio Domini, cujus non interest, apud quem ex vocatis sit feudum; non verò, quando ageretur de agnatis tali fideicommissario proximioribus. Unde censet in eo casu proximiorum ex illis agnatis posse talem restitutionem & successionem ad fideicommissarium impedire. De cætero, dum feudum est hereditarium, nihil impedit, quòd minus transeat ad fideicommissarium. Paris. *conf. 2. num. 43. l. 1.* & alii passim. Quod ipsum tamen Clar. *loc. cit. num. 2.* cum Socin. Jun. *conf. 72. num. 22. l. 1.* intelligendum esse ait de simpliciter & absolute hereditario, quòd transit ad extraneos, & liberè alienari potest, & non de feudo hereditario mixto.

Quest. 414. Successio feudi an continuetur ipso jure in filium aliumve agnatum proximiorum?

Resp. Quæstio hæc ferè coincidit cum illa, an possessio feudi quam vasallus defunctus habebat continuetur ipso jure in filium hæredem; si quidem successio in feudo alium non est, quam possessio feudi, quòd prius habebatur seu possidebatur ab alio. In qua quæstione pro affirmativa, seu quòd opus non sit, saltem in feudo antiquo paterno, filium hæredem de novo mitti in possessionem, Mynsing. *cent. 3. obs. 38.* citat Gl. *in c. 1. de feud. cognit. ad finem.* Præpos. *ibidem.* Bald. *in l. cum antiquioribus. C. de jur. deliber. quest. 10.* Jason. *in l. quoties. C. de R. V. num. 32. &c.* Pro negativa, seu quòd non continuetur ipso jure possessio; sed opus sit in bonis feudaliibus, non secus ac in bonis allodialibus, actuali apprehensione, & consequenter hæc requiratur ad succedendum in illis, citat Idem Mynsing. Gl. *in l. cum miles. ff. ex quib. caus. maj.* Bald. & Alex. *in l. in suis. ff. de liber. & posthum. Zaf. conf. 30. à num. 8. l. 1.* iisque inheret, addens etiam ex Oldendot. quòd, si habitum spectemus, certissimum esse, tam dominium quam possessionem in liberis continuari mortuo parente, cum in suis hæredibus non sit necessaria aditio, quippe qui statim hæredes existant ipso jure; si verò effectus rei & actus possidendi corporalis spectetur, impossibile esse, illam continuari in liberos; quia, cum ea sit quid facti, per mortem parentis esse desit, adeoque opus sit nova apprehensione, ita ille. Verum quiquid sit de feudis pro se & filiis, in quibus hi ab intestato succedunt, saltem in feudis pro se & hæredibus quibuscunque, dum in his non succeditur ab intestato, seu successor non est hæres necessarius, sed etiam esse potest extraneus, ad succedendum actu videtur requiri